

tem vocis, communem et indifferentem esse. Quod tenuit Joan. in cap. *Certificari*, de Sepult., ut Ubaldus supra refert, et Glossa in cap. ult. de Consuetudin., in 6, verb. *Consuetudo*, quæ alios refert. Potestque hoc probari, sive consuetudo spectetur ut est quid facti, sive ut est jus non scriptum. Quia, priori modo, consuetudo de se non determinat certum tempus, nec longum aut breve, et ideo per has varietates distinguitur, neque in jure invenio fundamentum alterius significationis, etiamsi vox *consuetudo* absolute ponatur. Posteriori etiam modo, quoties jus non scriptum per consuetudinem non præscriptam induci potest, tam proprium jus est, et tota definitio consuetudinis tam proprie in illud convenit, sicut consuetudini præscriptæ. Et ideo non video fundamentum illius regulæ generalis; eo vel maxime quod omnia jura quæ a dictis auctoribus allegantur, loquuntur de præscriptione propria, et non de jure consuetudinario. Ideoque ubicumque fuerit sermo de consuetudine absolute, maxime spectandum censeo ad materiam, vel effectum, de quo tractatur; nam si ille talis sit, ut per solam præscriptionem, seu per consuetudinem præscriptam inducatur, merito intelligitur intentionem scribentis esse loqui de consuetudine præscripta: si autem materia hoc non postulat, non est eorum vox restringatur, sed accipienda erit, vel indifferenter, vel in alia significatione, rei de qua agitur vel aliis juribus magis accommodata. Et hoc tandem in virtute dicunt citati auctores, per limitationes quas suæ regulæ adjungunt, et per jura quibus illa confirmant.

CAPUT IX.

DE CAUSIS CONSUETUDINIS, ET PRÆSERTIM QUIS ILLAM INTRODUCERE VALEAT.

1. *Causa consuetudinis explicatur.* — Expluimus rationem et essentiam consuetudinis, tum generatim, tum species ejus indicando, quantum expedire visum est; superest ut causas et effectus ejus explicemus. Et primo, quoad causas, cum fere omnes, in explicandis definitione et divisionibus consuetudinis, tactæ sint, sola efficiens amplius superest explicanda; nam in consuetudine non datur propria materia et forma, ex quibus constet; sed quatenus est quid juris, materia, circa quam versatur, est eadem quæ materia legis humanæ: nam jus scriptum et non scriptum non differunt in materia circa quam versantur, sed in signo

quo constituuntur. Unde etiam, in jure consuetudinis, non datur specialis forma sensibilis et externa, præter ipsa opera quæ debent esse externa et sensibilia; et, quatenus sunt signa consensus, dici possunt verba non scripta, quibus tale jus in memoriis hominum scribitur. Et ideo in hac forma non requiritur specialis promulgatio, quia consuetudo usu ipso se publice manifestat et promulgat. Forma vero intrinseca hujus legis est aliqua voluntas, quæ, alia consideratione, est causa efficiens obligationis per consuetudinem inductæ, de qua statim dicemus. Si autem consideremus consuetudinem ut est quid facti, materia, ex qua constat, sunt actus ipsi, in quorum frequentia consistit, et quia consuetudo debet esse utilis et honesta, ideo illius quasi forma erit ejusdem honestas et utilitas in singulis actibus et in eorum frequentia inventa, vel certe ipsa continuatio, vel frequentia sine interruptione, et sufficienti tempore, dici potest quasi forma consuetudinis. Et hæc omnia se tenent aliquo modo ex parte causæ sufficientis, et cum illa magis declarabuntur. Causa vero finalis eadem est, cum proportione, quæ in lege scripta, scilicet, utilitas publica, vel ratio consuetudinem honestans, quæ, objective sumpta, habet rationem finis, et ex parte coincidit cum effectibus consuetudinis, cum quibus magis explicabitur. Solum ergo superest dicendum de efficiente causa.

2. *Consuetudinis duplex causa efficiens.* — Possumus autem hic duplicem causam efficientem distinguere, scilicet, proximam, et primariam inter causas humanas; de his enim tractamus. Proximam voco, ipsos homines consuetudinem introducentes, illi enim inchoant usum, et illum continuant operando, ac subinde efficiendo. Primariam vero appello, superiorem potestatem, seu principem, si forte influxus ejus necessarius est ad vim consuetudinis. Unde prior causa vocatur proxima, præsertim quoad consuetudinem facti; nam illam per se primo et immediate operatur. Princeps vero erit præcipua causa juris consuetudinis, et dici poterit immediata immediatione virtutis, licet non sit proxima immediatione suppositi, ut constat. In causa vero proxima tria occurrunt consideranda, scilicet: persona operans, exterior operatio seu operandi frequentia, et interior voluntas, seu consensus. Quæ notavit Baldus in capite ultimo, et addit quartum, scilicet, tempus; sed illud non est causa, sed ad summum conditio requisita, de qua dictum est in præcedenti capite, et in particu-

lari dicetur in sequentibus. Igitur illa tria breviter explicanda sunt.

3. *Communitas perfecta requiritur, ut consuetudo inducatur.* — Circa primum, est dubium quis possit consuetudinem inducere. In quo imprimis asserunt omnes non sufficere privatam personam, sed debere esse aliquam communitatem perfectam. Hoc satis constat ex dictis in capite secundo circa secundam divisionem, ubi etiam rationem reddimus, et declaratur optime in l. *De quibus*, ff. de Legibus.

4. Potest vero objici, quia interdum privata persona, vel communitas, consuetudine acquirit privilegium, ut libro sequenti dicetur: privilegium autem est jus quoddam, et privata lex. Item, per consuetudinem privatam, potest quis excusari ab obligatione legis; ergo talis consuetudo legalis est. Antecedens patet, quia jure communi tenetur Episcopus, in correptione subditorum, procedere de consilio Capituli, et tamen per consuetudinem excusatur, c. *Non est*, de Consuet., in 6. Idemque sumitur ex cap. 1 de Præser., in 6, ibi: *Cum jus commune contra ipsum faciat*. Et ratione probari potest, quia potest tantum ex parte tolli, quæ dicitur legis derogatio, l. *Derogatur*, ff. de Verbor. signif.; ergo per consuetudinem unius personæ poterit illi derogari, saltem quoad talem personam.

5. *Privata consuetudo dupliciter excusat a lege communi.* — Ad priorem partem, respondeo imprimis hic non esse sermonem de privilegio, quod est lex privata, sed de jure non scripto, quod habeat propriam rationem legis. Deinde dico privilegium magis acquiri per propriam præscriptionem quam per consuetudinem propriam, de qua nunc tractamus, ut dicemus libro sequenti. Constat autem præscriptionem a privata persona, et per privatum usum, seu consuetudinem introduci. Unde ad posteriorem partem respondemus, dupliciter posse privatam consuetudinem excusare ab obligatione legis communis. Uno modo præscribendo per illam aliquod jus, quo acquisito potest mutari materia communis juris, et consequenter cessare potest obligatio communis juris, et hoc modo potest consuetudo privata excusare, vel potius tollere obligationem juris communis ab aliqua persona, quia illa non est derogatio juris communis, sed ablatio materiæ. Quod etiam in jure naturali contingit per rerum mutationem, ut sæpe dictum est, et in ipsa præscriptione notum est. Et hoc modo procedunt jura supra citata, ut ex illis constat. Alio modo, potest intelligi privatam consuetu-

dinem derogare legi communi, per se et directe subtrahendo ab obligatione ejus; et hoc dicimus esse impossibile, quia consuetudo privata frangendi legem, etiam positivam, nunquam excusat culpam, sed potius de se auget illam. Et hoc modo dicunt jura contra obedientiam non præscribi, c. *Cum non liceat*, de Præser., ubi Glossa et alii communiter id notant, quia nec potest eximi aliquis ab obedientia propter inobedientiam, nec per suum abusum potest derogare potestati superioris, aut illam aliquo modo minuere; sic etiam dicunt doctores subditum non posse præcepto vel intentioni superioris derogare, quia hoc intrinsece includit obedientiæ vitium. De quo videri potest Archid. in c. *Cum de beneficio*, de Præbend., in 6, et Felin., in c. *Cum accessissent*, de Constit., n. 30, verb. *Quarto limita*. Sic ergo non potest subditus privatus, sua prava consuetudine, se eximere a lege. Unde, licet lex possit ex parte derogari ab habente potestatem, non tamen a privato subdito, quia illam potestatem non habet, nec præsumitur superior cum illo quasi dispensare propter abusum ejus, quia esset irrationabilis voluntas contra nervum disciplinæ, imo contra vim et efficaciam omnium legum.

6. *A qua communitate possit consuetudo introduci.* — Secundo, dicendum est consuetudinem juris non a quacumque communitate introduci posse, sed ab illa quæ sit capax potestatis legislativæ pro seipsa, vel saltem sufficiens, ut vera lex illi possit imponi. Hæc assertio communis est, quoad hoc, ut ad consuetudinem introducendam requiratur communitas perfecta, qualis est civitas, vel alia similis. Ita sumitur ex dicta l. *De quibus*, ubi prius dicitur consuetudinem inveteratam vim juris habere; et statim ratio redditur, quia ipsæ leges vim habent, quia judicio populi receptæ sunt; ergo idem dicendum est de his quæ sine scripto populus probavit. Ubi clare sermo est de populo perfecto, et secundum primævam institutionem habentem in se potestatem condendi leges. Et in l. *Sed ea* additur *consuetudinem introduci tacita civium conventionione*; cives autem civitatem constituunt, civitas autem est communitas perfecta. Et in l. *Sic de interpretatione*, appellatur *jus civitatis*. Idemque sumitur ex § *Sine scripto*, cum sequentibus, Instit. de Jur. natur., gentium et civili.

7. Unde communiter doctores asserunt solum populum qui potestatem habeat condendi leges, posse consuetudinem introducere: Bart., Jason et alii in dicta l. *De quibus*; Panorm.,

Roch. et alii in dict. c. ult.; Innoc. in c. *Ex parte*, de Const.; Felin., in c. *Quæ in Ecclesiis*, de Const., cap. 25, et c. *Accedentes*, de Præscr.; Nav. in Comment. de Spoliis, § 14, n. 7, et alii, quos refert Tiraq., de Jur. primog., quæst. 16; unde Joan. And., tract. de Consuet., post cap. ult. illius tract., hac ratione, in definitione consuetudinis ponit, debere esse jus populi, qui auctoritate publica legem condere possit; et sequitur ibi Barbat. et alii, et Angel., verb. *Consuetudo*, n. 7, ubi ait requiri populum habilem ad condendam legem. Idem clarius Sylv., quæst. 3. Sed melius hoc explicuit D. Thomas 1. 2, q. 97, art. 3, ad 3, dicens communitatem a qua potest consuetudo introduci, debere esse aut rempublicam liberam, seu supremam; aut, si inferior sit, hoc posse in vi taciti consensus illius principis cui subest. Et ideo etiam considerate dixi, in assertionem, requiri communitatem *quæ sit capax potestatis legislativæ*, quia non est necessarium ut actu illam habeat, quia per licentiam seu tacitum consensum principis suppleri potest. Capacitas autem talis potestatis activæ necessaria est, quia debet esse communitas perfecta; omnis autem communitas perfecta est, de se, capax hujus potestatis, ut supra dictum est.

8. Sed contra hoc objicit Panorm. in rubr. de Consuetudin., numero primo. Quia communitas clericorum potest inducere consuetudinem contra canones, juxta cap. ult. de Consuetudin., et tamen non potest legem facere contra canones, cap. *Institutionis*, 25, q. 2, cum similibus; ergo potest induci consuetudo ab eo qui non habet potestatem condendi legem. Possumus etiam objicere, quia communitas populi laici non potest legem ecclesiasticam condere, ut per se notum est; tamen sua consuetudine legem ecclesiasticam introducit, qualis est lex jejunii, vel festivitatis alicujus; ergo. Item communitas mercatorum non habet potestatem faciendi legem, et tamen consuetudo eorum potest legem inducere, juxta ea quæ per Bart. et alios notantur in leg. 2, c. de Constitution. pecun. Præterea, feminæ non possunt legem condere, ut omnes in hac materia videntur supponere, et tamen communitas feminarum sua consuetudine potest jus introducere, ut in religione Monialium, quod sentit Bart. in dicta leg. *De quibus*, et dicta leg. 2, c. Quæ sit long. consuet. Præterea, multi auctores, quos refert Tiraquel., de Jur. primogen., quæst. 16, dixerunt consuetudinem unius familiæ posse inducere legem

pro illa familia, cum tamen in illa non sit potestas ferendi leges.

9. Propter primam objectionem, Panormitan., in rubric. de Consuetudin., rejicit dictam definitionem Joann. Andreae. Verumtamen responderi facile potest, primo, communitatem clericorum posse legem condere, saltem non repugnantem canonibus, et hoc satis esse ut possit etiam consuetudinem introducere, et jus illius. Neque obstat quod latius extendatur de facto potestas ejus ad inducendum jus per consuetudinem, quam per statutum, quia hoc potuit provenire ex concessione juris et Pontificum, propter peculiarem rationem quam investigat idem Abb. in cap. ult. de Consuetudin., ubi Rochus et alii. Semper tamen verum est consuetudinem non introduci nisi ab habente potestatem condendi leges. Hoc vero melius explicatur per doctrinam datam, quia non requiritur potestas quæ jam actu habeatur, sed sufficit capacitas. Et hanc revera habet communitas clericorum; posset enim eis dari potestas specialiter statuendi contra canones, etiamsi de facto illis data non sit.

10. *Objectio.—Responsio.—Duplex capacitas in communitate intelligi potest.*—Sed tunc urget secunda objectio, quia in communitate laicorum neque hæc capacitas esse videtur ad potestatem ferendi legem scriptam ecclesiasticam. Ad illam vero responderi potest, primo, ex dictis lib. 4 de Voto, c. 9, communitatem populi, de se et sola natura rei spectata, capacem esse potestatis legislativæ, etiam in materia religionis et divini cultus, et ideo, licet nunc in Ecclesia hæc potestas elevata sit ad superiorem ordinem, et Pastoribus Ecclesia fuerit commissa, nihilominus, ex consensu eorundem Prælatorum Ecclesiæ permitti populis ut, sua consuetudine, possint obligari in tali materia, cum tacito consensu eorundem Prælatorum, modo explicando in sequenti capite. Deinde responderi potest satis esse quod illa communitas populi sit communitas perfecta, et de se passive capax talis legis, ut eam possit per consuetudinem introducere in materia spirituali, medio consensu tacito, vel expresso spiritualium Prælatorum. Et ad hoc indicandum addidi in assertionem illa ultima verba, *Vel saltem ut communitas sit talis, cui lex possit imponi.* Duplex enim capacitas potest in communitate intelligi, una ad ferendam legem, et alia ad recipiendam. Et quamvis nunc, in populo christiano laico non sit prior potestas ad ferendas ecclesiasticas leges, et fortasse

neque capacitas ad talem potestatem, saltem secundum legem ordinariam; nihilominus est in illo capacitas passiva, ut illi possit talis lex imponi. Et hanc dicimus necessariam esse, et sufficere, ut per talis populi consuetudinem, cum tacito consensu Prælati, possit consuetudo introduci. Dico autem esse necessariam illam capacitatem, quia non potest forma introduci nisi in subjecto capaci, et ita suo modo non potest jus spiritualis consuetudinis (ut sic dicam) introduci nisi in subjecto capaci legis ecclesiasticæ. Sufficiens vero esse dico, quia hoc satis est ut illa censeatur communitas aliquo modo integra, et perfecta in tali ordine; nam communitas omnino imperfecta et particularis non est capax propriæ legis, licet sit capax præcepti, ut supra l. 4, c. 9, ostendi. In omni autem communitate perfecta consuetudo potest sufficere ad jus introducendum, si cum illa concurrat capituli consensus.

11. *Responsio ad tertiam objectionem.*—Et ita patet responsio ad tertiam objectionem. Nam communitas mercatorum, verbi gratia, eo modo potest consuetudinem introducere, quo est capax legis. Imo Bart., in dicta leg. 2, dicit posse facere statuta; quod quomodo intelligendum sit, in lib. 3 explicavi. Nam si per se spectetur illa communitas, solum potest condere statuta conventionalia, non proprias leges; si autem consideretur ut conjuncta principi, vel habens facultatem ab illo, potest facere statuta quasi municipalia. Sic ergo potest inducere consuetudinem quæ, cum eadem proportionem vim legis habeat. Quod mihi colligere videor ex l. ult., c. Quæ sit longa consuet., ubi, in principio, absolute dicit imperator consuetudinem probatam et tenaciter retentam, imitari legem, quod debet intelligi de populo potente condere legem. Et subdit statim: *Et quod officii, curiis, civitatibus, vel collegiis præstitum fuisse cognoscitur*, utique per patientiam principis, ut ibi dicit Gloss. Sufficit ergo quod sit communitas capax legis, *accedente consensu tacito principis, vel Prælati.* Atque eodem modo expedienda est quarta objectio; nam communitas feminarum esse potest capax legis, et ita consuetudo earum, acceptata a Prælato, potest legem inducere, ut expresse notavit Bart. in dicta l. 2, c. Quæ sit long. consuet., n. 13. Ad ultimam vero, dicitur falsam esse sententiam ibi allegatam: nam privata familia non potest inducere proprium jus consuetudinis, quia per se sola non est capax legis, etiam passive tantum: nam est imperfecta omnino, et nunquam sua consuetudine

potest introducere jus, etiam cum consensu principis, quia illa sola, ac per se sumpta non est capax legis, etiam imponendæ a principe, ut lib. 4, cap. 9, declaravi. Nec etiam potest circa alios consuetudinem introducere, quia consuetudo unius non obligat alium, nec ibi potest præsumi voluntas principis obligandi totam communitatem perfectam, propter consuetudinem unius partis imperfectæ, ut in sequenti puncto explicabimus. Quomodo autem hoc locum habeat in consuetudine abrogante legem, facile explicabitur ex hac ultima consideratione.

12. *Ut consuetudo inducatur, requiritur ut saltem a majori parte communitatis observetur, et hoc sufficit.*—Dico tertio: ut consuetudo a populo inducatur, necessarium est ut saltem a majori parte communitatis observetur, atque illa sufficit. Assertio est communis omnium auctorum quos retuli, et videri potest late Bart. in l. 2, c. Quæ sit long. consuet., a n. 12; et Roch. supra, sect. 4, a princ. Ratio prioris partis est, quia consuetudo debet esse moraliter observata a tota communitate, cum jus ejus in totam cadat; minor autem pars non sufficit ut consuetudo ipsi communitati simpliciter tribuatur, neque ut inducat consensum ejus. Item quia, ad ferendam legem per expressam voluntatem communitatis, non sufficeret consensus minoris partis, nec solet sufficere in electionibus, et in aliis actibus qui a communitate fieri solent, vel possunt; ergo multo minus sufficere ad inducendam consuetudinem legalem. Dices hoc recte procedere ubi consensus communitatis esset propria causa legis, non vero ubi lex per consuetudinem inducitur ex consensu principis. Respondeo: vel agitur de consensu expresso principis, et tunc verum est posse principem ferre legem, respiciendo, si velit, ad consuetudinem paucorum, si illi melior vel magis expediens videatur, illud vero non erit jus consuetudinarium, sed erit lex scripta, vel expresse lata; vel agitur de consensu tacito, et hic non potest rationaliter præsumi propter solam consuetudinem minoris partis, etiam sufficienter toleratam; tum quia illa præsumptio nullo jure fundatur; tum etiam quia princeps, per hoc jus non scriptum, non censetur velle obligare populum non consentientem, ut consentiat; sed potius quia populus consentit, et tacite postulat consensum principis, ideo censetur princeps tacite consentire, suppositis aliis conditionibus; at populus non consentit ratione minoris partis; ergo.

13. Posterior autem pars, scilicet, usum majoris partis sufficere, contraria ratione fundatur, quia, in omni communitate, ad valorem actuum ejus, consensus majoris partis sufficere solet, ubi jus aliquid speciale non statuit. Quia in persona ficta consensus majoris partis censetur totius corporis, l. *Quod major*, ff. ad Municipalem, et notavit, congerens multa, Felin. in cap. *Cum omnes*, de Const., n. 17, et in superioribus id jam attigimus; ergo etiam in presenti censetur consuetudo totius communitatis, ac subinde sufficiens. Et ita sentiunt fere auctores allegati, quia solum hoc requirunt. Quomodo autem hoc sufficiat ad consuetudinem derogantem legi, dicam in c. 16. Addit vero Angel. supra, n. 7, esse necessarium ut duæ partes communitatis consentiant, et adducit l. *Nulli*, et l. *Plane*, ff. Quod ejus univers., et sumpsit ex Panorm. in dict. cap. ult., n. 18, qui magis hoc declaravit. At vero, quocumque modo declaratur, est parum necessaria in presenti hæc restrictio. Nam si intelligatur ut duæ partes populi consentiant, et consuetudinem observent, hoc non est verum, quia nullo jure probatur; nam in illis legibus hoc non dicitur, sed solum esse necessariam præsentiam duarum partium uniuscujusque communitatis, ut acta illius nomine communitatis fieri censeantur, ubi Glossa notat etiam tunc non esse necessarium consensum duarum partium illorum qui assistunt, sed satis esse consensum majoris partis præsentium. Quod etiam Panorm. in presenti fatetur, et ita intelligit dicta l. *Quod major*, et cap. 2 De his quæ fiunt a maj. part. Cap. Si vero solum intelligatur esse necessariam præsentiam duarum partium populi, hoc superflue postulatur in consuetudine populi, cum per se constet fere integrum populum necessario esse præsentem in longa consuetudine.

14. *Quomodo computanda sit major pars populi.* — Et ideo Panorm. addidit oportere ut saltem duæ partes scientes sint consuetudinis quæ introducitur. Sed hoc spectat ad alias conditiones requisitas in his actibus consuetudinis, scilicet, ut publice fiant, inde enim necessario consequens est ut, si major pars populi publice consuetudinem servet, non solum illa, sed etiam alii notitiam illius habeant. Quanquam hoc necessarium non sit; nam licet multi ignorent, dummodo pro majori parte sciant, sufficit, quia cum non requiratur eorum consensus, nec notitia necessaria est, satisque est quod res de se sit publica. Ideoque dixit Rochus, d. cap. ult., sect. 4. n. 24, ad

consuetudinem requiri scientiam populi, vel majoris partis, ubi late hoc prosequitur et confirmat. Sic etiam dixit Greg. Lop., in l. 5, tit. 2, part. 1, Gloss. 4, quem sequitur Burgos de Paz., in lib. 1 Tauri, n. 205, in consuetudine servata a majori parte populi, semper esse præsentiam sufficientem respectu totius populi, nec posse propter aliquorum ignorantiam impediri. Supererat vero explicandum quomodo sit computanda hæc major pars populi, seu ex quibus personis numerus ille componendus sit. In hoc vero omnes conveniunt esse computandas tantum personas habiles ad consensum præstandum in jure consuetudinis. Unde excluduntur omnes infantes et amentes. Aliqui etiam omnino excludunt feminas, quia non possunt legem ferre, et ex viris excludunt omnes minores viginti quinque annis. Neutrum tamen video sufficienter jure probari, nec ratione convinci. Sed hoc resolvetur melius circa singulos effectus legis.

CAPUT X.

QUIBUS ACTIBUS CONSUETUDO INTRODUCATUR.

1. *Per frequentiam actuum qui publice et voluntarie fiunt, introducitur consuetudo.* — Dicendum breviter est consuetudinem non introduci nisi per frequentiam actuum, qui publice et voluntarie fiant, quatenus consensus populi est ad introducendam consuetudinem necessarius. Prima particula videtur per se nota, quia, si sit sermo de consuetudine facti, illa substantialiter consistit in actuum frequentia, ut supra declaratum est, et ideo, respectu talis consuetudinis, licet singuli actus possint dici causa efficiens illius, nihilominus frequentia, seu collectio actuum magis videtur esse illius substantia, et quasi formalis ratio. Si autem loquamur de consuetudine ut est quid juris, hæc introducitur per consuetudinem facti, et ideo per eandem frequentiam actuum induci debet. Unde hæc pars videtur sufficienter probari ex definitione, quia consuetudo debet esse moribus utentium instituta: mores autem non sunt sine actuum frequentia. Item ex nomine: dicitur enim consuetudo, quia in communi est usu, ut ait Isidor., cap. *Consuetudo*, d. 1; quomodo autem esse potest in usu communi sine actuum frequentia? Item consuetudo dicitur usus longævus, cap. *Consuetudinis*, dist. 11, et in l. *Sed et ea*, ff. de Legib., et in l. *De quibus*, dicitur, in consuetudine populum in factis declarasse suam vo-

luntatem: facta autem non sunt sine actuum multiplicatione, et hanc vocamus frequentiam; ergo.

2. *Objectio prima.* — *Objectio secunda.* — *Instantia.* — *Solutiones.* — Objici vero potest, quia interdum sufficit omissio. Jam vero dixi moralem omissionem sub actu morali comprehendendi, et ubi illa sufficit, etiam illius frequentiam postulari. Quando autem et quomodo sufficiat, in cap. 16 declarabitur. Secundo, objici potest, quia aliqui doctores graves asserunt interdum sufficere unum actum ad consuetudinem, ut refert Bart. in dicta leg. *De quibus*, et dicta leg. 2, cap. Quæ sit long. consuet. Idque admittit Panorm. in dicto c. ult., n. 17, quando actus est permanens, et sufficienti tempore durat, ut, per unam collationem beneficii inducitur consuetudo, si illa duravit in facto esse tempore sufficiente, c. *Cum de beneficio*, de Præbend., lib. 6, et per unum actum ædificandi pontem, acquiritur jus, si pons sufficienti tempore duravit. Verumtamen hæc et similia exempla habent locum in præscriptione, ad quam revera non est per se necessarius proprius actus consistens in operatione humana, sed sufficit habitualis possessio (ut ita dicam) cum aliis conditionibus; et ratio est, quia præscriptio frequentius versatur circa res aut personas, ut cap. 1 et 2 sufficienter tactum est, et ideo in præscriptione quando unus actus sufficit, non durat proprie actus, sed effectus, seu terminus actus, ut est possessio beneficii, aut pontis; quamvis in his exemplis moraliter etiam interveniat frequentia actuum utendi ponte ad beneficio, etc. At vero in consuetudine de qua tractamus, et in universum in omni illa quæ versatur circa actus humanos, ut tales sunt, impossibile est introduci consuetudinem sine actuum multitudine, et frequentia, quia isti actus non durant per tempus diuturnum, et consuetudo debet esse diuturna. Unde non potest esse talis, nisi per actuum successionem. Dices: licet actus transeat, censetur manere moraliter, quamdiu non retractatur, etiamsi non iteretur. Respondeo id esse verum quantum ad reatum, seu habituales culpam, non vero quantum ad consuetudinem: nemo enim dicitur habere consuetudinem furandi, quia semel furatus est, et per longum tempus non restituit. Eo vel maxime quod, respectu legis inducendæ vel tollendæ, non potest fieri ut populus, qui unum actum fecit, verbi gratia, servando festum aliquod, vel jejunium, multo tempore persistat, quin aut repetat si-

miles actus, vel faciat contrarios. Et ideo simpliciter et sine limitatione verum est, ad hanc consuetudinem actuum frequentiam requiri. Et ita docet late Bartol. in dicta l. 2, n. 12, et Glossa in cap. *Consuetudo*, d. 1, et in cap. ult. De consuetud., ubi late Rochus, sect. 3, n. 36, dicens esse ab omnibus receptam, fere nullo contradicente.

3. *Quæ actuum frequentia requiritur ad consuetudinem inducendam.* — *Ad judicium prudentis viri confugiendum.* — Dubitant vero ulterius hi doctores quæ actuum frequentia necessaria sit, vel sufficiat ad hujusmodi consuetudinem inducendam. Quidam enim antiqui juristæ duos actus sufficere dixerunt, ut Bartol. supra refert, et sequitur Rosell., verb. *Consuetudo*, et Sylv., ibi, quæst. 4, adhibendo aliquas distinctiones. Allegatque l. 3, c. de Episc. aud., et c. *Ita nos*, 23, q. 2, ubi geminatio ejusdem criminis vocatur consuetudo. Sed, ut recte dixit Bart., illud intelligitur de quadam assuefactione operis, non quæ sufficiat ad jus introducendum, sed ad punitionem graviorem, et ad non facile concedendam veniam, et similes effectus, facti potius quam juris. Et ideo Bartol. et alii hanc sententiam communiter reprobant, quia nulla ratio inveniri potest ad certum numerum definiendum, et jura illum non præscribunt; unde dicunt arbitrio prudentis esse relinquendum. Quorum sententia certa mihi esse videtur, loquendo in nostra materia de propria consuetudine legali, quidquid sit de numero actuum sufficiente ad propriam præscriptionem, vel ad alios effectus facti, ut dicam.

4. Declaratur autem in hunc modum. Quia hæc consuetudo aliquando debet esse præscripta, ut jus inducat, vel auferat, aliquando vero id non est necessarium. Quando ergo præscribenda est consuetudo, primum considerandus est numerus annorum necessarius, juxta dicenda in capitibus sequentibus. Et deinde spectandum est an consuetudo requirat in singulis annis unum tantum actum, vel plures: nam, si unum tantum postulat, ut observandi tale festum, jejunandi tali die, tunc tot actus erunt necessarii, quot fuerint anni necessarii ad præscriptionem. Si vero requirit plures actus in certo numero, cum eadem proportionem erunt in annis ad præscriptionem requisitis multiplicandi. Potest autem numerus actuum in singulis annis non esse certus absolute, sed sub conditione, vel opportunitate aliqua, ut esse potest consuetudo publice orandi, vel aliquid simile faciendi, quoties talis occasio vel tem-